Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36522
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

fomenta eorum. De habitu mulieris docet Paulus corinthios. Decet mulierem uelatam orare dominum. Et ipsa natura docet uos. quod uir quidem si nutriat comam. ignominia est illi. mulier uero si comam nutriat gloria est illi. quoniam capilli pro uelamine dati sunt illi. Ambrosius in epistola ad corinthios. Mulier inquit idcirco debet uelare caput. quia non est imago dei. sed ut ostendatur subiecta. et quia preuaricatio per illam inchoata est. hoc signum debet habere. ut in ecclesia propter reuerentiam sacerdotalem non habeat caput liberum. sed uelamine tectum. nec habeat potestatem loquendi. quia sacerdos Christi personam habet. Quia sicut quis ante iudicem sic ante sacerdotem. quia uicarius domini est. propter reatus originem subiecta debet uideri. Et alio modo. quia et uiri quidam comam nutriebant. et mulieres nudo capite incedebant in ecclesiam. gloriantes in crinibus. quod non solum inhonestum erat. sed etiam concupiscentie fomenta prestabat. Masculi stant ad australem partem. et femine ad borealem. ut ostendatur per fortiorem sexum firmiores sanctos semper constitui in maioribus temptationibus estus huius seculi. et per fragiliorem sexum infirmiores in aptiore loco sicut dicit apostolus Paulus. Fidelis autem deus est qui non patietur uos temptari super id quod potestis. Ad hoc quidem pertinet quod iohannes in apokalypsi uidit angelum fortem. qui posuit pedem suum dextrum super mare. sinistrum autem super terram. Fortiora etenim membra in maioribus periculis. et alia in competentibus sistunt. Locutiones quas homines debent habere in ecclesia. Paulus manifestat. dicens ad ephesios. Loquentes uobismetipsis in psalmis. et ymnis. et canticis spiritualibus. Quod ita Hieronimus in tractatu memorate epistole. Qui se abstinuerit ab ebrietate uini. in quo est luxuria et pro hoc spiritu fuerit impletus. iste omnia potest spiritualiter accipere. psalmos ymnos et cantica. Quid autem sit inter psalmum. ymnos. cantica. in psalterio plenissime discimus. hic autem breuiter ymnos esse dicendum. qui fortitudinem et maiestatem predicant dei. et eiusdem semper uel beneficia uel facta mirantur. quod omnes psalmi continent. quibus alleluia uel preposita uel subiecta est. Psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent. ut per organum corporis quid faciendum et quid uitandum sit nouerimus. Qui uero de superioribus disputat et concentum mundi omniumque creaturarum ordinem atque concordiam subtilis disputator edisserit. iste spirituale canticum canit. ut certe ut propter simpliciores manifestius quod eloquamur uoluimus. Psalmi ad corpus. cantica referuntur ad mentem. Et canere igitur et psallere. et laudare dominum magis animo debemus quam uoce. Quod pretermisimus. quod apostolicorum primi statuerunt. ut femine uelato capite intrarent in ecclesiam hic remur intromitteret. Linus natione ytalus. ut legitur in gestis pontificalibus beati Petri ex precepto constituit. ut mulier in ecclesiam uelato capite introiret.

De non utendis uestibus sacratis in cotidiano usu.

Stephanus natione romanus ex patre iobio. ut legitur in gestis episcopalibus constituit sacerdotibus leuitisque uestes sacratas in usu cotidiano non uti. nisi in ecclesia. Tale quid dominus per ezechielem loquitur: Hec sunt gazophilatia sancta. in quibus uestiuntur sacerdotes qui appropinquant ante dominum. in sancta sanctorum. Et paulo post. Cum autem ingressi fuerint sacerdotes. non egredientur de sanctis in atrium exterius. sed ibi reponent uestimenta sua in quibus ministrant. quia sancta sunt. uestienturque uestimentis aliis. et sic procedent ad populum. Et iterum. Cumque ingredi